


hoc s̄epe in morbis accidat acutis, in quibus magna putredo latet
in intimis penetralibus, eam itaque potius materiam malignam,
naturae obedientem reddere atque expellere debemus, quām ver-
messalio quā periculum erit ne morbum augeamus, ægrotūmque
sic occidamus.



Methodus pro cognitione

DYSENTERIÆ INSER- V I E N S.

DYSENTERIA propriè dicta, est fluxus ventris
cum intestinorum exulceratione aut excoriatione,
cui dolor, torsioque semper coniungitur. Contingit
autem h̄ic primò corpora pinguia ab r̄ibis
humoribus, hinc tempore non solummodò pinguia
corpora, sed etiam fibræ, pelliculæque interioris tuni-
cæ intestinorum cum excrementis deiiciuntur, cùm sc̄i-
licet altius malū imprimitur ipsis intestinis. Tertiūs ve-
rō gradus erit cùm iam sanies profūditur, atque hi gra-
dus magnitudinem vlceris indicat. Sordidum autem vl-
cus esse significatur nobis, si sanies multa sine dolore
exeat, quæ si quoque fœteat, putridum indicat vlcus; vtī
laudabilis sanies mundum vlcus designat. Contingit au-
tem aliquādo cruentem per aluum excludi absq. dysen-
teria, primo quidē in iecoris imbecillitate, tūncq. aquæ
in qua carnes recēter mactatæ lotæ sūt, simili est id quod
excernitur. Hoc quoque fit in obstruktione superiorum
vasorum, tūncque ea quæ deiiciuntur, nihil abraſi ha-
bent sibi permixtum, solēntque aliquando supprimi per
duos aut tres dies, tandemq. deteriora plerūque supe-
rioribus excrementsa protruduntur, solēntque s̄epe post
tenuem sanguinis saniem tandem humor quidem crassus,
vini fecibus non multum dissimilis, expelli. alias etiam
absque vlo intestinorū vlcere, aut superiorū venarum

Y ij